



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In  
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Fouillon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

XII. Vindicta non coquenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

## BONA VOLUNTAS

Secundò, discamus non indignari  
adversùs inimicos, non vindic-  
tare. Etiam coquere, non malum malo  
rependere. Si enim instrumenta Dei  
sunt, tantumdem illis irascendo feceri-  
mus, quantum stultus, qui virgis cæsus  
non appetit cädentem, sed magnificè sele-  
ctum putat, si virgas admordeat & dis-  
fringat. Aut, quæ vulgaris similitudo  
est, à Dorotheo ad rem nostram adhi-  
bita, Doctrinâ sept. canum instar eri-  
imus, qui lapidibus appetiti, omisso jacu-  
latore, ad lapidem admordendum excur-  
runt. Sic miser Saül à Deo destitutus,  
non adspicit Dei justam manum, non  
osculatur, non adorat: sed nunc bilem  
suam egerit in Davidem, nunc in Jona-  
than, nunc in Achimelechum: prorsùs  
ut homo mergens obvia quæque appre-  
hendere, & secum trahere solet. Sic  
etiam lib. Regum 4. cap. 6. Rex Sama-  
riæ, invalecente fame, non intuetur  
auctorem Deum, sed in Elisæum inve-  
hitur, juratque filio Saphath caput reci-  
sum iri. Contrà sapientissimè & sanctif-  
simè

simè David lib. Reg. 2. cap. 16. ab homine maledico convitiis appetitus, *Dominus*, inquit, *præcepit*, *ut malediceret*, id est, malâ ejus voluntate ad pœnam meam utitur. Eundem in modum Josephus Genesis cap. 45. fratribus ait, *Non vestro confilio, sed Dei voluntate hoc missus sum*. Non equidem nesciebat de se occidendo, in cisternam demittendo, Madianitis negotiatoribus in Ægyptum tendentibus vendendo, consultasse: sed Deum etiam sciebat eorum iimpia consultatione usum esse, tamquam malo instrumento bonum opificem. Explicatiùs loquitur cap. 50. *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum*. Quando nocere voluistis, vestro animo servistis: at cùm nocendi potestas accessit, non vobis ipsi servistis, sed Deo, alios longè fines gloriæ suæ, virtutis meæ, utilitatis vestræ, cogitanti.

XII.

*Litteramen  
defensio. &  
quatenus.*

Teñtiò notandum: etsi vindicatio non liceat homini Deum attendenti, tamen defensionem licere, cum moderamine in-

E

culpatæ